

nas. vel aliud quoddam solvendo. *Sum Belantnis eius*
Erbguts. Knicb. de pact. investit. c. 5. n. 37. seqq.

§. III.

Propriè quando sumitur hoc vocabulum notat effatum aliquod certum de re litigiosa. Ac definiri poterit ita Confessio, quod sit certa ac legitima alicujus facti assertio, in ipsius asserentis præjudicium facta. Hujus definitionis singularum partium explicationem vide infra sub forma.

§. IV.

Dividitur in civilem & criminalem: Hæc dicitur, quæ in judicio criminali profertur, *l. 5. ff. de custod. & exhib. reor. sive ea fiat sponte, sive tormentis extorqueatur.* Unde facilè apparet definitionem confessionis criminalis in *Colleg. Jur. Argent. §. 3. b. t.* traditam subsistere non posse, imò *Wesenb.* ibidem falsè citari, de quo latius infra dicetur. Civilis confessio est, quæ in judicio civili ad actoris intentionem profertur. *l. 40. §. 1. ff. de pact. Gloss. in l. 4. ff. de interrog. act.* Utraq; verò confessio vel est judicialis vel extrajudicialis. *Wesenb. π. b. Mascard. de probat. præamb. qu. 7. n. 7.* Judicialis dicitur, quæ in judicio fit, *l. 6. §. 3. ff. h. t.* Extrajudicialis, quæ extra judicium. *l. 40. pr. ff. de pact. Gl. in l. 4. de interr. act.* Extrajudicialem *Bach. in not. ad Wesenb. π. b. t. §. 1. lit. B.* iterum duplicem facit: Vel quæ in jure fiebat, apud Prætorem scil. quia hæc commodè judicialis appellari non poterit. Vel quæ prorsus extra judicium inter privatos fiebat, quam in specie extrajudicialis nomen mereri asserit.

§. V.

Confiteri & confitendo sibi præjudicare possunt omnes, qui & legitimæ sunt ætatis, & facti in quo versantur solidam habent cognitionem. Confiteri ergò possunt Masculi & foeminae indistinctim. Quamvis moribus nostris

stris